

vicibus tentamina priora, nova quaedam alia, sive ejusdem sive diversi generis, experimenta sibi adjungerent, quae vel ab aliis interea temporis inventa ad nos etiam emanaverant, vel à nobis ipsis occasione horum illorumve excogitata fuerant.

Quemadmodum autem eò usque tandem excrevit novorum horum tentaminum numerus, ut illum priorem, si non exsuperaret, saltem adaequaret, rerum varietate certè, & usu, & admirandi Naturæ Rationisq; vires argumento multiplici nihil isti concederet; ita benevolum istud ac honorificum, quod exteri quoq; de qualicunque illo primo labore tulerunt judicium ad secundum etiam nos excitavit, & quòd merx illa prior suos ex voto reperisset emptores, id Editori nostro stimulum & calcar addidit, ut ipse Partis Secundæ Collegii Experimentalis, cui materiem satis abundè suppetere jam cognoverat, editionem meditaretur, & nos operi aliàs haut injucundo manum prompti lubentesq; admo- veremus. Sic igitur enata nobis hæc Collegii Curiosi Pars altera in manus Tuas emittitur, LECTOR BENEVOLE, ean- dem sperans, quæ obtigerat priori, fortunam paremq; cordatio- rum judicium æquitatem.

De duobus interim breviter es monendus. Unum concernit majorem paulò hîc in tractandis rebus, enarrandis Phænomenis, & exponendis horum causis, prolixitatem, quàm in priore Parte fueramus usi, ob sequentem equidem rationem: In concipiendis Phænomenis & Conclusionibus Partis prioris ab initio non aliam nobis metam præfixeramus, quàm Auditorum nostrorum commo- da, ut ea, quæ spectaverant partim, operosiore apparatu exhibita experimenta, partim audiverant prolixiore discursu diducta ra- tiocinia, utraq; in synopsi quadam paucis recolere deinceps possent,  
neq;